

# **Badische Landesbibliothek Karlsruhe**

**Digitale Sammlung der Badischen Landesbibliothek Karlsruhe**

**Meditationum evangelicarum pars tertia, hoc est:  
Tractatio evangeliorum tam dominicalium, quam  
festivalium, ad recte se sub variis tentationum generibus  
gerendum, disposita**

**Creide, Hartmann**

**Francofurti ad Moenum, 1682**

Exordium

[urn:nbn:de:bsz:31-126133](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:bsz:31-126133)

518.  
DOMINICA XXVI. POST TRINIT.

*Evangelium Matth. 25, v. 31. -- 46.*

EXORDIUM.

**I**ohannes Damascenus memorabilem historiam recenset, de Rege quodam, ejusque fratre. Rex ille continuo sibi ob oculos posuit diem extremi iudicii, ideoque subtristis & mœrens incessit. Frater ipsum commonuit, ut profligato mœrore lætitiã ostenderet, siquidem nullam causam tristitiã haberet. Rex illi tum quidem nullum responsum dedit. Paucis verò diebus elapsis, Rex præconem misit, qui ante ædes fratris buccinã signum daret, quod in Regno illo mortis signum fuit. Cum Præco id fecisset, & frater sonitum tubæ percepisset, totus exhorrescebat, putans, se à Rege morti adjudicatum. Lugubri ergò veste indutus, consternatus ad Regem pergit, ad cuius genua provolutus orat, ut vitam sibi donaret: non enim sibi constare, quãnam re capitis reus factus esset. Cui Rex: Mi frater, tu tantoperè pertinuisti sonitum buccinæ, qui tamen nihil deliquisti, quod morte dignum esset; Et ego non animo perturbato essem, cuius aribus tuba extremi iudicii semper insonat, qui exploratum habeo, quod indies imò momentaneè Deum meum, multis peccatis offenderim? Itcirco ne ludibrio me habeas, si in contemplatione iudicii ultimi, omni mundano gaudio renunciem, & vitam meam in perpetuo mœrore transigam.

Laudabile factum Regis, quo fratrem à securitate detertere voluit! Est autem hic Regis frater imago filiorum huius seculi, qui de iudicio ultimo parùm solliciti, omni tristitiã valedicunt, & in delitiis terrenis se recreant, non secus ac si fœdus percussissent cum morte, & cum inferno pactum fecissent, Esa. 28. v. 15. hi terrendi sunt die extremi iudicii, qui est dies tubæ & clangoris, Soph. I. v. 16. ubi Filius Dei in tubã Dei descendet de cœlo, 1. Thes. 4. v. 16. & nos ad tribunal suum citabit: idque eo fine, ut securi isti homines à vano mundi gaudio absterreantur, ex adverso verò cœlestia semper sollicitè querant.

Eò collinearunt Majores nostri, ideoque Evangelia nonnulla in Ecclesia Dei tractanda ordinarunt, in quibus doctrina extremi iudicii paulò plenius continetur, quò verbi Ministri ansam haberent, sapius diem ultimum inculcandi, & sonitu ultimæ tubæ homines terrendi, ut sic timore percussi, in se descenderent, & per seriam pœnitentiã vitam emendarent.

Nos instituti nostri memores videbimus

- I. Triplicem Querelam.
- II. Triplicem Medelam.
- III. Triplicem Cantelam.

Exege-